ECCLESIÆ ANGLICANÆ POLITEIA

In Tabulas digesta.

AUTHORE

RICHARDO COSIN, Legum Doctore, olim Decano Curiæ de Arcubus, & Cancellario, seu Vicario Generali Reverendiss. Patris JOANNIS Archiepiscopi *CANTUARIENSIS*.

Editio ultima, prioribus longè emendatior; Cui insuper de novo præfigitur succincta Authoris eruditissimi Vitæ narratio.

OXONII,

Excudebat *L. Lichfield* Academiæ Typographus, impensis *Tho. Fickus*, & *Joh. Howel*. Anno Salutis CIↃ.DC.LXXXIV.

704:15

Viro Ampliſſimo Conſultiſſimoque D^no. D^no.

LEOLINO JENKINS

Equ. Aur. Sereniſſimo Regi *CAROLO* II. à Secretioribus Conſiliis, Supremæ Curiæ Admiralitatis *Anglicanæ* Judici, Curiæ necnon Prærogativæ *Cantuarienſis* Magiſtro &c.

POſtquam in animum meum induxiſſem accuratiſſimas de Eccleſiæ Anglicanæ politeiâ Tabulas, *in lucem denuò edere; non erat quòd diutiùs dubius hærerem, cui potiſſimùm nominis præclarum adeo doctiſſimi authoris opus conſecrarem. Perſpecta olim benevolentia tua fecit, ut auderem; ipſum autem libelli argumentum admonuit, ut ornatum à patrocinio tuo in has paginas derivatum irem. Orbatus proprio parente libellus (in quo tota Eccleſiaſtici regiminis imago, brevibus quidem, ſed omnibus numeris abſolutis, tabellis depingitur) ſupplex à me iſtiuſmodi viri tutelam rogare viſus eſt, qui Eccleſiæ* Anglicanæ *hinc & inde nuperrimè virulentiùs impetitæ & tantum non conclamatæ, partes ſtrenuè adeo egit, ut immanes populi debacchantis impetus ſolus pene validiſſimè ſuſtinuerit. Nimirum ſic ritè & tuto in publicum proditurus eſt, ſi ſplendore nominis tui illuſtretur, qui juris omnis, Divini pariter ac humani, conſultiſſimus necnon ſervantiſſimus audis.*

Artibus hujuſmodi graviſſimis inſtructum, quis parem inſecutam eſſe gloriam mirabitur? Dedignatà eſt tantæ virtutis fama, anguſtis Britanniæ *terminis coarctari. Agnovit* Gallia *prudentiam, facundiam tuam, legumq; peritiam, cum* Sereniſſimæ Reginæ *MARIÆ defunctæ cauſam, ſummo cum adverſariorum plauſu & admiratione ageres, victoriamq; tandem triumphans reportares. Hoc idem teſtatur &* Noviomagum, *ubi ardua & implicata, non unius regni ſed totius* Europæ, *negotia, cum exterorum regum populorumq; Legatis, prudenter adeò peregiſti; ut æternam non tibimet ipſi ſolùm ſed & inſulæ noſtræ gloriam cumulares. Cuncti pariter ſubacti judicij tui rationiſq; acumen, legumq; peritiam admirantes; in quamcunq; conſilio tuo partem propenderes unà tecum & mente & voce conſentiendum*

dum esse decreverunt. Sic protinus Britannia nostra, tuo consilio & prudentiâ, Gentium domina atq; arbitra facta est.

Sed parum adhuc pro patriâ feciſſe videaris, ſicum iis, quæ uberiorem tibimet longè gloriæ exinde ſegetem apud omnes comparârunt, inſtituatur collatio; magnum quidem eſt, illuſtrem & claram patriam reddere; ſed quanto majus, cadentem tueri, & oppreſſam ſublevare? Mittamus inſignem tuam, graſſante bello civili, erga Regem fidelitatem: hæc enim gloria cum multis communicata, haud æquum eſt, moram faciat, ad illa, quæ virtutis tuæ propria ſunt, encomia properanti. Renaſcentia prioris ſæculi monſtra res ſacras & prophanas iterum permiſcuiſſent, niſi tua prudentia & induſtria fanatico furori fræna injeciſſent. Perſpicacia tua non ita pridem uſq; adeo eluxit, ut cum cæteros pene omnes, Fanaticorum calliditas, falſâ pietatis ſpecie, captâſſet; tu tamen diſſimulatam perfidiam, ſubq; libertatis prætextu, jacta licentiæ popularis fundamenta, clariùs perſpiceres; fortitudo inſuper animiq; conſtantia eouſq; emicuêre, ut brachia contra torrentem rapidiſſimum dirigeres, & Tribunorum, jura legeſq; deſpectui planè ſummo habentium, minas & contumelias intrepidus contemneres.

Poſt tot ac tanta in Regem & Eccleſiam merita, ſupervacaneum videatur ſingularia tua in Academiam Oxonienſem beneficia recenſere. Siquidem ita ſemper fato quodam noſtro fieri contigit; ut qui verus Eccleſiæ Regiſq; amicus eminuerit, idem Academiæ pariter vindex acerrimus; nemoq; unquam illis ſeſe infenſiorem præbuit, quem non huic unà bellum inſolentius indixiſſe conſtiterit. Tu vero Almam matrem tuam non tantùm reſpicere, & quod aliis etiam moris eſt, honeſtis verbis ornare dignatus es; ſed etiam contra factioſorum malitiam, verſutiam, & potentiam; ope, conſilio, & favore adjuvare. Quàm acer fueris libertatis Academicæ propugnator & patronus? Fælicem Remp! Fæliciſſimam Academiam! Si influxibus iſtis, quos toties nobis benigniter indultos gratabundi agnoſcimus, vel in ultima ſæcula, utpote memoriæ tuæ coævis, uſq; & uſq; frui daretur, quod, uti alijs quibuſcunque, ita, præ cæteris, maximè in votis eſt Dignitatis Tuæ

Obſervantiſſimo

LEON. LICHFIELD.

LECTORI CANDIDO.

CUilibet in re literariâ vel mediocriter tantùm versato non potest non quin clariùs constet, quantopere doctrinæ progressui unicè consulentes, infælicem admodum studiosorum sortem defleverint; quòd præcellentia tot, maximi nominis, scripta jamdiu evulgata, in paucorum manus nunc incidentia, neutiquam cõparanda sint; quum interim, luxuriante nimiùm prælo, non nisi futiles istiusmodi sciolorum scriptiunculæ, ne quid pejus dicam, in publicum insolentiùs protrusæ, avidè lectitentur, quæ nemini non, judicii paulò subactioris, nauseam solummodo creando sunt. Curiosiùs proinde aliquandiu disquirens, quo potissimum tractatu recudendo, gratiam tuî certior inirem, non inficias ibo, in eam memet sententiam, haud levibus rationum momentis, tandem adductum, ut facilis crederem, neminem minori compendio commodo tuo cumulatiùs prospecturum, quàm si in eo totus pro virili elaboraret, ut nova insequentium Tabularum editio, prioribus aliquantò emendatior, in lucem exiret, quod an nunc præstitum sit, penes æquos rerum æstimatores, hujusce cum cæteris collationem accuratiùs instituentes, judicium esto. Diu est, ex quo ultimæ exemplaria penitus distracta fuerint, inq; Bibliopolarum officinis hæc à doctis frustra sæpiusculè exquisita esse probè novi; justis itaq; horum votis fiere satis, quantùm in me fuerit, impensissimè studens, eas nunc in manus tibimet trado quàm correctissimè emissas; siq; materiæ pondus, decantata toties Authoris celebratissimi fama, sive dispositissima suscepti opusculi tractandi ratio, pretii aliquod operi cuipiam conciliare adsuescant, & certè solent quàm maximum, non erit, quin auspicati magis ejusdem successûs in spem vel erectissimam venirem. Quum autem nativo, nescio quo instigante, pruritu quilibet pene pronus gestiat in aliqualem saltem illius notitiam deduci, cujus præcipuè ductu studiis profecerit, haud multò ab re fore opinor paucula quædam, in transcursu veluti, de ipso Tabularũ Authore leviter tantùm attingere; Ut à primis usq; *Rich. Cosini* incunabulis Historiolæ exordia repetam, natus est in oppido, cui nomen *Hartlepoole*, Mercatûs jus habente, in Episcopatu *Dunelmensi*, perenniorem cujus in gloriam id unicum cessurum vel ultima reputabunt secula, quòd tanto Ecclesiæ Advocato ortum olim dederit; huic enim ruinas tantùm non minitanti, malesanis utpote tot novaturientium machinis undiquaque periculosiùs impetitæ, haud minorum gentium opportunè admodum Patronus accessit. *Skyptoniæ*, in Agro *Eboracensi*, primis literarum rudimentis imbutus Academiam *Cantabrigiensem* juvenis admodum salutavit, ibidemque in Collegii S. S. *Trinitatis* album refertur, quo brevi clara adeo indolis fælicioris specimina edidit, ut reliquis coætaneis, politiori quàvis literaturâ ut ut præstantibus, palmam facilè præripuerit, unde mirari minùs subeat quosdam Collegii *Reginalis* Socios nihil intentatum reliquisse, quo hunc eousq; inclarescentem ad sese demum allectarent; quo tempore Collegio SS. *Trinitatis* præfuit *Rob. Beaumont S. T. P.* qui ornamento insigni adeo, cujusmodi extitit *Cosinus*, suos privatos iri gravatè ferens, Discipulorum protinus, ac quamprimum per Statuta licuerit, Sociorum in numerum ascivit. Facta nunc huic est copia cujuslibet disciplinæ studio, quocunque innata mentis duceret proclivitas, totum semet addicendi, idcirco Jurisprudentiam nodis abstrusioribus quantumvis implicatam præ cæteris excolendam selegit, cui penitiùs cognoscendæ cum omnibus ingenii nervis aliquandiu insudâsset, subtilitatum Juris Cæsarei quarumcunque enucleator omnium longè peritissimus eminuit. Cum *Joh. Whitgiftus S. T. P.* relictâ jam Aulæ *Pembrochianæ* præfecturâ, Collegii *Trinitensis* (a) gubernaculo admotus esset, neminem ibidem commorantem invenit, de quo, omnimodà *Cosini* scientiâ pleniùs statim perspectâ, majorem spem concipere daretur; illo Serenissimæ Reginæ *ELIZABETHÆ* gratiâ, merita viri eximia omnigenamque doctrinam intuentis, ad (b) Episcopatum *Wigornienſem* evecto, hunc in Diæceseos suæ Cancellarium, pri-

(a) *Julii Quarto Anno Dom.* 1567. (b) *In Episcopũ Wigor. consecratus occurrit*, April. 21 1577.

ore

ori utpote fatis conceſſo, elegit, quo ad Sedem *Cantuariæ* (c) Archiepiſcopalem evocato, ut ipsa illa benignitas, quæ non ita prioribus hunc beneficiis abundè cumulatum dimiſit, aliis inſuper de novo collatis, arctiùs etiam adhuc ſibimet devinciret; *Coſmum*, Curiæ de *Arcubus* Decanum, Cancellarium porro ſuum, ſeu Vicarium Generalem, conſtituit; Sacra necnon Reginæ Majeſtas dignum hunc cenſuit, Commiſſariorum Regiorum ad Cauſas Eccleſiaſticas in numerum qui aſcriberetur, Curiæ pariter *Cancellariæ* è Magiſtris alter emicuit: *Whitgiftus* ille jam memoratus, qui Authorem noſtrum eouſque demeritus eſt, is erat, cujus pene ſolius conſilio, ſcriptiſque eruditiſſimis, diſciplinam ſuî redivivam, nimiâ quippe Præſulum quorundam anteriorum, magni aliàs nominis, incuriâ turpiùs labaſcentem, acceptam referat Eccleſia *Anglicana*, qui inſuper proſpexit, ut ſolenniori hujus cultui ſuus conſtaret honos & reverentia. Quod ad libros ſpectat, quos omnes, tabellas modò excipias, publicâ luce Anglicè donavit: Primò, (d) Reſponſionem omne genus doctrinæ refertiſſimam adornavit Anonymi cujuſdam farragini, cui titulus, *Abſtractum quorundam Regni Statutorum, Injunctionum, Canonum &c.* Alium etiam, hoc titulo dignoſcendum, contexuit ac edidit; *viz. Conſpiratio* (e) *Reformationis viz. Diſciplinæ Preſbyterialis, cauſâ*, cujus rei peragebantur *Guliel Hacketus, Edmun. Coppingerus, & Henricus Arthingtonus &c.* immanes quorum machinationes, ac portentoſa facinora, in extremam Sacræ Reginæ Majeſtatis pariter ac Regni perniciem, collimantia, iſtorum temporum Hiſtorici prolixiùs enarrant. Incendiarii nonnulli maleferiati, partium tantummodo ſtudiis abrepti, in hoc unum diutiùs toti incubuerunt, ut Curiæ cenſuræque Eccleſiaſticæ contemptui priùs habitæ, penitus tandem everte. entur, hoc fine, Tractatum, Notaſque ſurreptitias M. S. S. in juramentum *ex Officio* maximam partem militantes, privatim diſſeminant; cumq; rebus permiſcendis apprimè accommodata fuerint ſcripta hæc, in illorum, quos fautores ſperârunt, manus ſolicitè ingeſſerunt, malo huic, ſtrages aliàs immaniſſimas certo certiùs ſparſuro, pro viribus obviam ivit *Coſmus*, adq; libellos holce famoſos, ut ut ad inſcios captandos ſpecioſiùs ſeſe venditantes, reſponſum numeris omnibus abſolutiſſimum concinnavit, ac hoc ſub nomine tripartitum emiſit: *Apologia pro variis, in Curiis Eccleſiaſticis, proceſſibus, in controverſiam à quibuſdam nuper vocatis,* (f) *ac diverſimodè impetitis.* Hâc, nugaces adverſariorum objectiunculas rationibus validiſſimis, quas denſo agmine è S. Literis, Patrum primævorum ſcriptis, Jureq; tam Canonico quàm Imperiali deprompſit, eouſq; planè diluit, ut vel efferatiſſima Fanaticorum colluvies, penitus jam profligata, in palæſtram hanc literariam cum *Coſmo*, impari adeo congreſſu, deinceps deſcendere recuſaverit prorſus; hujuſce tametſi furfuris homunciones maleſanâ ſcripturiendi prurigine plus nimiò ſemper laboraverint; intimiùs autem jam conſcij ſeſe non niſi curtam admodum ſuæ doctrinæ ſupellectilem deridendam propinaturos, ſi ejuſmodi denuo litibus ſemet audaciores immiſcerent, plenior quarum cognitio tenuem ipſorum captum longiſſimè fugeret. Poſthumas has Tabellas primus in lucem edidit (g) *Tho. Crompton*, quàmq; tum gratè, ac exinde, illas exceperint docti, vel hinc conjectare licet, quòd ſequiores earundem editiones non domi ſolùm, ſed et apud exteros, concinnatæ extiterint. Haud operæ pretium erit ſummam harum utilitatem copioſiùs perſuaſum ire, cum hoc ipſum, apud omnes regimini qualicunq; Eccleſiaſtico admotos, etiamnum in confeſſo ſit; quanti etiam intereſt, ut Clerus univerſus, ordinatiſſimum hujuſmodi Politiæ diſciplinæq; Anglicanæ Typum, in promptu habeat, ad quem, tanquam ad normam undiquaq; accuratiſſimam, praxin ſuam quoad hæc, ſeveriùs exigat, adq; quem, hiſce ſuper rebus dubii quidpiam ſiquando ſuboriretur, tutiùs recurrat, utpote qui ſcrupulis hocce genus in totùm eximendis par planè ſit? Hoſtium Eccleſiæ vel infenſiſſimorum uſui tabulas haſce aliqualiter inſerviiſſe conſtat; *Rich.* enim *Baxterus* (h) nominatiſſimus ille Schiſmaticorum Anteſignanus, qui minutiſſimas qualeſcunq; anſulas in Hierarchiam Anglicanam hoſtiliter involandi nunquam non avidiſſimè arripuit, Epiſcopatum, prout apud nos ſtabilitur, ac ſi normæ primævæ minùs conſonum, adſolitâ ſuâ armaturâ, virulentiâ nempe & calumniis, probatum dare contendens, hunc, uti hiſce tabellis, ac à *Rich. Zouchæo* (i) celeberrimo illo non ita pridem Juris Civilis apud *Oxonienſes* Profeſſore Regio, membratim deſcriptus exhibetur, ultimo, ſed fruſtaneo planè, virium niſu impetit. Facile foret, inſtituti modò ratio hoc exigeret, plurimorum teſtimonia, quibus viſum eſt Authorem noſtrum elogiis ſuis ornare, ſuperiùs de ipſo prolatis unanimiter ſuffragantia, congeſſiſſe; à re verò noſtrâ forſan haud uſq; adeo alienum erit unius *Guliel. Camdeni* (k), celeberrimi illius Antiquarii juxta ac Hiſtorici fideliſſimi, judicium ſubtexere, quod aliorum omnium ad inſtar ſit, qui adſtruit, *Coſmum*, ju-

---

(c) *Sep.* 24. 1583. (d) *Lond.* 1584. *quar.* (e) *Lond.* 1592. *quar.* (f) *Lond.* 1593. *quar.* (g) *Lond.* 1604 *Fol.* (h) *In Tractatu ſuo de Epiſcopatu &c.* Lond. 1681. *quar. Cap. Sec.* (i) *In Deſcriptione Juris & Judicii Eccleſiaſtici &c.* Lond. 1683. *Oct. edit. Sec.* (k) *In Tomo Altero Annalium &c.* Lond. 1627. *Fol. ſub An.* 1598. *P.* 171.

riſdictio-

risdictionem Ecclesiasticam propugnando, gravissimæ doctrinæ & prudentiæ eximiæ laudem consecutum. Quamobrem autem ne vel uni ex operibus, quæ publici juris fecit, nomen suî præfixum nollet, non est, quòd conjecturis hic agerem; singularem verò modestiam, quâ in tantùm excelluit, solummodo in causâ extitisse, quòd industriè adeo semet celaverit, plusquam verisimile; nec erat, quòd elaboratissima hujusce opera à titulis quibusvis turgescentibus, nomineve quantumvis illustri, honoris quidpiam fœnerarentur, qui in Ecclesiæ ipsiusq; jurium vindiciis adornandis tantùm non paria fecerit, vel cum Patrono suo insigni, Archiepiscopo *Whitgifto*, *Richardoq*; *Hookero*, qui singuli, scriptis suis in ultima duraturis secula, Ecclesiam *Anglicanam*, cui Adversarii ejusdem infensissimi ruinam solicitè adeò intentârunt, sartam tectam conservare pro virili allaborârunt. Indignus ego planè Encomiastes, qui tanti viri longiùs irem in laudes; de Ecclesiâ enim Anglicanâ literatisq; in tantùm meritus est, ut doctissimus ille Præsul *Guliel. Barlow*, *Roffensis*, ac deinceps *Lincolniensis*, Episcopus, eximias admodum illius dotes, doctrinam consummatissimam, illibatam morum integritatem, cæteraq;, quibus conspicuè adeo eluxit, virtutes, justo (l) volumine, eodem ipso, quo hic oppetiit, anno in lucem emisso, fusiùs pro argumenti dignitate prosequeretur; cui etiam ad calcem accessêre *Cantabrigensium* quorundam carmina funebria in ipsum condita; quem librum adeat velim, pleniorem quicunq; illius notitiam efflagitat: Unicum vero hocce nequaquam reticendum esse judico, Authorem prædictum opere in eo, varia illa tempora, quibus ad diversas suî dignitates *Cosinus* ascenderat, nullibi speciatim designâsse, quodq; magis mireris, nè quidem obitûs sepulturæve annum, nedum diem; constet utcunq; Biographis peritioribus in usu semper fuisse hæc omnia singulatim adnotare, tametsi à quibusdam tanquam minutiæ rejiciantur prorsus, horum aliqua in superioribus sicubi indigitentur, defectum hunc aliunde supplere necessum habui. Obiit, uti clarissimus *Camdenus*, loco supra citato, & ex eo, credo, *Tho.* (m) *Fullerus*, S.T.D. referunt, *A.D.* 1598. Exequiæ ipsius elatæ à Collegio *Londinensi*, Juris Civilis Professoribus assignato, in Ecclesiâ *Lambethanâ* inhumatæ jacent. Siq; jam usq; adeo fœlix fuerit hujusce Editionis sors, ut genuinis Ecclesiæ *Anglicanæ* filiis, subditisq; Sacræ Serenissimi Regis Majestatis fidelioribus, aliquale ipsam cessisse in emolumentum dehinc constiterit, laboris mei qualis qualis, in eâdem ad Mss. fidem emendandâ, exantlati, non erit, quòd memet vel tantillùm pæniteret.

(l) *Lond.* 1598. *Quar.* (m) *In Historiâ Ecclesiasticâ &c. Lond.* 1655. *Fol. sub an.* 1598. *Lib.* 9°. *P.* 234.

OXON. 1° *Maij*
1684.

Ad Lectorem Monitorium.

CUM in priore Editione *Eccleſiæ Anglicanæ Politeia* in *XVI.* Tabulas diviſa eſſet; & Exemplaria nulla amplius extarent, Typographus Palingeneſiam meditaretur, ejus rogatu eas in *XXVIII.* paginas diviſimus, pulcherrimâ Cl. *Authoris* methodo religioſè obſervatâ. Sciſſuras ſive partitiones Literæ *A* & *B* oſtendunt. *Capita Tab.* ſubjiciuntur.

CAPITA TABULARUM.

CAPUT I.

Suprema Regis poteſtas, ſcilicet Primatus Regius *in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas conſideratur*; 1° *generaliter*, 2° *particulariter*: *conſtatque in iis quæ vel ſtatuto primùm conceduntur*; *vel reſtituuntur tanquam Coronæ de jure debita*: *ſuntque vel uſitata, vel non uſitata*; *niſi tum demum poſtquam Papalis uſurpata Authoritas exterminata fuerat, & concernunt vel Appellationes*: *Canones ſive Leges Eccleſiaſticas ferendas, adminiſtrandas, relaxandas*: *vel Beneficia Eccleſiaſtica. & Diœceſes.*

CAPUT II.

Judices Ordinarii minus amplam habent adminiſtrationem judicialem; *vel lege minime introductam, vel lege conſtitutam*: *eamque exercent vel alieno nomine ut Epiſcoporum ſurrogati, vel proprio nomine ut Epiſcopi. Ubi de Archiepiſcoporum dignitate, & poteſtate in ſtatu civili.*

CAPUT III.

Quæ utrique Archiepiſcopo communia in ſtatu Eccleſiaſtico: *in Ordinatione ipſa, vel poſt Ordinationem, vel quatenus ſunt Metropolitani, vel Archiepiſcopi, vel Primates*: *& quæ Cantuarienſi peculiaria.*

CAPUT IV.

De Facultatibus, & in quibus caſibus Archiepiſcopi Diſpenſare *poſſunt.*

CAPUT V.

Epiſcoporum conſideratur ſtatus in Repub. & in Eccleſia ratione vocationis externæ ad Epiſcopatus: *vel functionis in rebus ſpectantibus ad Ordinem Epiſcopalem*: *& Juriſdictionem delegatam à Principe*; *vel Ordinariam lege tributam.*

CAPUT VI.

Epiſcoporum voluntaria Juriſdictio ſtabilitur, Statuto, Jure Municipali: *Jure Municipali & confirmatur Eccleſiaſtico*: *& Jure Eccleſiaſtico ac confirmatur Municipali.*

CAPUT VII.

Voluntariæ Juriſdictionis pars præcipua eſt Quolibet Triennio *viſitare & inquirere de exceſſibus & defectibus ipſius Miniſtri, Oeconomorum, & reliquorum Parochianorum.*

CAPUT VIII.

De contentioſa Juriſdictione, in qua conſiderantur perſonæ in Judicio verſantes: *res ſive ſunt publici intereſſe, vel vindictæ*: *vel privati intereſſe, verſanturq; in cauſis vel Matrimonii, vel ſucceſſionis in bona, vel Eccleſiaſticorum Jurium.*

CAPUT IX.

De Judiciis, in quibus conſiderantur in Jus vocatio, Litis conteſtatio, Cauſæ cognitio, ſententia: *vel quæ poſt ſententiam*: *ſuntque ejuſdem Executio, vel ab eadem Appellatio.*

CAP. X.

De Exceptione contra teſtium perſonas, quia prohibentur: *vel admiſſi eliduntur*: *vel contra dicta ſive teſtimonia.*

CAP. XI.

De Eccleſiaſticis ſcilicet Diaconis & Miniſtris, qui minime habent in Eccleſia judicialem adminiſtrationem. Ubi de Epiſcopis Suffraganeis, & de Decanis Ruralibus, & de membris Eccleſiarum Cathedralium.

CAP. XII.

De Miniſtris & Diaconis in Parochiali Eccleſia, & eorum externâ vocatione ad ordinem & Beneficia Eccleſiaſtica.

CAP. XIII.

De publica Miniſtri functione in Parochiali Eccleſia, vel concionando: *vel in reliqua Divinorum adminiſtratione ad præſcriptum Injunctionum Regiarum, & Ordinarii*: *& Liturgia publica authoritate edita.*

CAP. XIV.

De Laicis, qui nonnullam habent adminiſtrationem in Eccleſia Cathedrali: *& in Parochiali, ut Collectores pro Pauperibus, Teſtes Synodales, & Oeconomi.*

CAP. XV.

De poſſeſſionibus Eccleſiaſticis.

CAP. XVI.

De Conſtitutionibus ſcriptis, & non ſcriptis.

TAB

TAB. I. A.

In Πολιτείᾳ Ecclesiastica *Angliæ*, generaliter considerandæ veniunt

- *Personæ*, & earum adjacentia.
  - Habentes *Administrationem* vel
    - *Supremam* magisq; absolutam qui dicitur *Primatus Regius* considerandus.
      - *Generaliter*, quâ authoritate (tanquam supremus secundùm Deum gubernator) potest in causis Ecclesiasticis Princeps statuere, quicquid verbo divino, statutis & consuetudinibus regni sui non repugnaverit
      - *Particulariter*, constatq; in iis,
        - Quæ Statuto primùm *conceduntur*, ut recipere,
          - *Primitias* sive *Annatas* post quamlibet vacationem.
          - *Decimas* omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum quotannis
        - Quæ Statuto *restituuntur* tanquam Coronæ Regiæ de jure debita, eaq; vel
          - A Principe *usitata* in suis dominiis: ut
            - Jus patronatus supremum (vocatum *Patronage Paramont*) ita ut ex lapsu temporis Beneficiorum collatio ad, & non ultra Principem unquam devolvatur.
            - Reditus vacantium Episcopatuum percipere ad usum proprium.
            - Facultatem Episcopi eligendi concedere,
            - Nominare Capitulo idoneum ad Episcopatum, quem eligant.
            - Electo Regium assensum adhibere.
            - Jusjurandum Homagii ab Episcopo recipere.
            - Personas quaslibet Ecclesiasticas ob maleficia contra pacem Regni, & dignitatem Regiam perpetrata, coram Judice Civili sistere, & condemnare.
            - Ecclesiasticis Judicibus mandare, ut supersedeant civilis fori negotia coram se agitare.
          - *Non usitata*, de quibus vide literam **A.**
    - Minus amplam, de qua vide Tab. 2.
  - *Nullam* habentes in Ecclesia administrationem, super quibus administratio exercetur; ut privati quique.
- *Possessiones*, de quibus vide Tab. 15.
- *Constitutiones* circa utrasque: de quibus vide Tab. 16.

TAB. I. A.

Non usitata, nisi tum demum, postquam Papalis usurpata authoritas ab Anglici Imperii finibus prorsus exterminata fuerat: eaque vel concernunt

- *Appellationes* ad instantiam alicujus partis interpositas, eò quòd
  - Ultima appellatio fit ad Principem, & non extra Regnum.
  - Dat Judices Delegatos per Cancellarium *Angliæ* sub Magno Sigillo, qui de causâ statuant.
- *Canones* sive *leges Ecclesiasticas*, vel
  - *Ferendas* eò quòd
    - Princeps novas leges condere potest circa cæremonias & ritus, cum consilio ea in parte, vel
      - *Commissariorum* suorum in causis Ecclesiasticis.
      - *Metropolitani.*
    - Synodus Provincialis vel Nationalis convocari non debet absque Principis rescripto.
    - Nec tractari, nec determinari aliquid potest in Synodo, nisi consentiente & assentiente Principe.
    - Nihil habet vim Legis, priusquam Regius assensus fuerit adhibitus his, quæ Synodus decernenda censuerit.
  - *Administrandas* & exequendas, eò quòd Princeps potest
    - *Visitare* statum Ecclesiasticum, & eorum personas.
    - *Reformare*, in ordinem redigere, & animadvertere in eos: nec non in cujusvis generis
      - Hæreses,
      - Schismata,
      - Errores,
      - Abusus,
      - Maleficia,
      - Contemptus,
      - Enormitates,

      } Quorumcunque.
    - *Assignare*, nominare, & authoritatem dare, quandocunq; & quamdiu ipsi placuerit hujusmodi indigenis subditis, quos idoneos censuerit ad
      - Exercendum, utendum, & exequendum
        - *Jurisdictiones*
        - *Privilegia*
        - *Præeminentias*

        } Quaslibet concernentes jurisdictionem Ecclesiasticam.
      - Visitandum.
      - Reformandum, corrigendum, & emendandum quoscunque
        - Excessus
        - &
        - Defectus

        } Qui quavis
        - Potestate
        - Authoritate
        - Jurisdictione

        } Ecclesiasticâ poterunt
        - Reformari.
        - In ordinem redigi. (digi.
        - Corrigi.
        - Emendari.
        - Reprimi.
  - *Relaxandas* vel
    - In perpetuum, cum prorsus abrogantur à Principe.
    - In tempus præteritum tantùm; ut cùm Princeps abolitionem criminis vel violati Canonis alicui concedit.
    - In præteritum & futurum etiam, ut cum & aboletur infamia, & violator in integrum restituitur.
    - Quum gratia fit Canonis in futurum tempus
      - Certæ alicui personæ, ex speciali occasione, causâ cognitâ,
        - Quam *Dispensationem* vocant, quæ plerumque fit quum
          - Sub magno Sigillo *Angliæ* confirmantur Facultates hujusmodi concessæ per Archiepiscopum Cantuariensem, cui hoc munus ex statuto incumbit.
          - Vel (si Archiepiscopus absque justâ causâ renuat) cùm Cancellarius Angliæ eas concedit, juxta Statutum eâ de re editum

Beneficia Ecclesiastica, & diœceses, de quibus vide lit. *B*.

TAB. I. B.

Beneficia Ecclesiastica & Diœceses, eò quòd potest Princeps

- Mandare Archiepiscopo, ut confirmet Electionem, nec non (cum duobus aliis Episcopis) ut consecret electum in Episcopatum.
- Unire sive consolidare, vel separare antea unita
  - Beneficia minora.
  - Episcopatus.
- Fiduciario titulo (quem *Commendam* vocant) concedere vacantem
  - Episcopatum.
  - Beneficium.
- Episcopos ab uno in alium Episcopatum transferre.
- E duobus nominatis unum in Suffraganeum Episcopum eligere.
- Fines & terminos cujuslibet Diœceseos
  - Extendere.
  - Contrahere.

TAB. II.


Minùs amplam habentes administrationem, eamq; vel
Judicialem, eamq; vel
Lege minime introductam, sed vel
Reati compositione.
Privilegio.
Præscriptione temporis, ut
Exemptarum jurisdictionum Judices nonnulli.
Archidiaconi, Quorum
Officium lege constitutum est: ut
Inquirant de
Ecclesiarum
Sartis tectis.
Suppellectile, &c.
Excessibus Ecclesiasticis reformandis.
Referant ad Ordinarium graviora quæque.
Inducant in Beneficia.
Jurisdictio prout præscripserint. Exercetur autem vel per
Seipsos.
Officialem.
Lege constitutam, ut Ordinariorum Judicum. Hi autem sub Principe eam exercent, vel
Nomine alieno, ut Episcoporum Surrogati: viz.
Vicarius generalis ad universitatem causarum jurisdictionis voluntariæ.
Officialis principalis ad universitatem causarum contentiosæ jurisdictionis.
Commissarius
Ad certas causas.
Intra aliquam partem Diœceseos.
Minime judicialem: de qua vide Tab. 9.
Nomine proprio, ut Episcopi, vid. lit. A.

TAB. II. A.



(B)

Archi-

TAB. III.


Archiepiscopi considerantur juxta locum, quem tenent in statu Ecclesiastico
Peculiarem Cantuariensi: ut
Quilibet Episcopus suæ Provinciæ ab ipso confirmatus exhibeat unum Capellanum, donec sufficiens aliquid Beneficium ei prospexerit.
Quatenus totius Angliæ Primas, Literas tuitorias concedere possit, quibus absque molestia interea exhibenda ei, qui appellaverit, Appellationem suam prosequi liceat, &c.
Utriq; Archiepiscopo communem
In Ordinatione ipsa, ut
Si non fuerint ante Episcopi, consecrentur à quatuor Episcopis.
Si fuerint, eorum electio confirmetur à quatuor Episcopis.
Post ordinationem, vel quatenus sunt
Metropolitani in
Confirmandis Episcoporum suæ Provinciæ Electionibus.
Consecrandis hujusmodi Episcopis, unà cum duobus aliis Episcopis.
Convocandis provincialibus Synodis juxta rescriptum regium.
Moderandis Synodis, & ultimo suffragio ferendo.
Archiepiscopi in
Recipiendis Appellationibus, & rescribendo ad Appellationes interpositas ab Episcopis suis suffraganeis.
Visitandâ (secundùm leges ac consuetudines) totâ Provinciâ.
Primates sive minores Patriarchæ
De jure antiquo; ut Appellationes admittere ab inferioribus Judicibus, etiam omisso medio.
Ex consuetudine præscripta: ut vacante quavis suæ Provinciæ sede Episcopali, custodiam Ecclesiasticæ jurisdictionis habere.

TAB. IV.

Facultates considerantur vel

- ***Generaliter***; unde poterit Archiepiscopus ***dispensare*** in omnibus causis verbo Dei non repugnantibus, modo vel
  - Solitæ fuerint in Curia Romana obtineri.
  - (Si non sint solitæ obtineri) Princeps ipse, vel qui sunt à secretioribus consiliis, permiserint.
